Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2019

Quelle:
Copyright:

DXXV.

721 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 86. 4. eſt: *Adverſus Degeneres Chriſtianos Eccleſie expoſtulacio: Leopoldo dickio Il. doctore authore*, qui *fol.* praevio ſua manu haec notavit: *Suo foedericho* (Nauſeae) *apud Spiren: Nemetum diuini Verbi Concionat: Militi Sacramentario Leopoldus Dickius p. Dono dat.* Incipit vero perpetua haec Eccleſiae Προσωποποιια in iſtum modum: *Illatum mihi iam vulnus vsque acerbum occultare diucius nec poſſum, nec volo; quo animum leuarem, tum mentis dolorem extinguerem, neſcio me vertere; vi enim geritur res, et quia ſtudent damnare tanquam nocentes eciam homines, quos ſciunt innocentes: conſtare vtique de innocentia mea volunt, quaſi vero maior iniquitas ſit, probatam innocenciam damnaſſe, quam inauditam.* &c. Ingreditur deinceps Eccleſia diſputationem de Animorum immortalitate primum, dein de varius Fidei, Ceremoniarumque Capitibus, ita tamen, ut neque Catholici, neque Proteſtantes eam in totum ſuam eſſe vellent. Erat enim *Suevus* noſter *Babenbuſanus* Comes Palat. tribunalis Imperial. ab aduocationibus et Cauſſarum Orator eorum e numero, quibus ſub initia Motuum Religionis non ſatis ipſis liquebat, quid velle oporteat, quique aut profligata omnia conclamabant, aut conciliationem quibusvis demum conditionibus urgebant. Magna illi Veterum lectio, etiam Graecorum, ſed indigeſta, ſcribendi methodus obſcurior, ſtilus ampulloſus et ſcaber. Id et in aliis ejus Scriptis obſerves, quae cum ab *Joechero* obiter tacta, neque ab *Adelungio* ſubpleta videam, hic adnumerabo: *Ad Chriſtum Sponſum Eccleſiae Sponſae Epiſtola.* Ad *Ant. Fuggerum.* Data *Auguſtae.* 1523. praevia Autoris Icone. 4. *De dira et ultra hominum fidem exitiali Mediolanenſium in Germanos milites ſeditione vera Narratio ad Carolum V.* Nuncupata *Udalrico a Schellenberg Mediolano* 1526. 4. *Adverſus impios Anabaptiſtarum Errores.* Ad *Chriſtoph.* Ep. *Auguſtanum. Haganoae* 1530. 4. *Ad univerſos Germaniae Proceres, Status et principes Viros — Adhortatio, ut tranquillitatem et ſuper omnia Symboli Pacem cum percuſſo inter ſe denuo amoris foedere defendant.* 1535. 4. cum adnexis Autoris Inſignibus. *De Sacroſancta Juris Diſciplina amplectenda Oratio.* Ad *Othonem Walpurg. Moguntiae.* 1541. 8. *Paraphraſtica Meditatio in Precationem Dominicam.* Ad Card. *Albertum. Moguntiae.* 1543. 8. *Paracleſis id eſt Adhortatio ad univerſos ſub velamine Chriſti merentes Chriſticolas per modum concionis, ut errorum pedicis illaqueatos corrigant* &c. Ad *Matth. Langium* Card. *Salzburg.* 4.

DXXVI.